



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Nona die Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**



ues, beata præunte Maria, duos patronos, Domitianum & Mengoldum, quorum præsentia eis erit in damnationem, si eos non imitentur per bonæ vitæ executionem.

### Nona die Februarij.

*De sancto Anberto, epif. Rothomagensi.*

*Ex Angrado, Chronicis Flandria, & Fontanella, & ex Martyrologio Blandinij.*

**I**N territorio Rothomagensi, monasterio Fontanella, natalis sancti ANSBERTI. archiepiscopi, & confessoris.

Qui ex regimine Fontanellæ, assumptus est post sanctum Audoënum, in episcopum Rothomagensem, sub quo dicta ecclesia floruit, sicut monasterium ante floruerat. Creuit gratijs, decreuit metallis. Delatus verò apud Pipinum principem, humiliter subiit exsilij ærumnam in Altomonte, Hannoniæ monasterio. Vbi etiam mortis quiete dormiens, transijt ex hoc sæculo. Post mortem petijt referri Fontanellam, vbi dudum, regulari ordine Domino militauerat. Vnde Halidulphus, abbas Alti-montis, summo honore corpus eo detulit, linteis ceratis obuolutum, & sic vestitum, sicut sanctis altaribus assistere consueuerat. Quod factum est anno sexcentesimo nonagesimo quinto. Historiam vitæ grauitè sub idem tempus conscripsit Angradus monachus, ad Hilbertum, quartum abbatem Fontanellæ, hoc est, ad proximum sancti Anberti successorem. Quæ apud dominum Surium extat ad hunc diem. Corpus eius cum corporibus sanctorum Wandregisili & Vul-



& Vulframni, ex Bononia, siue Bolonia, maritima vrbe, quo deuectum erat ob persecutionem Nordmannicam, translatum est Gandauum, ad Blandiniense cœnobium, anno nongentesimo quadragesimo quarto. Vnde eo loci memoria eius frequentatur. Nam præter natalem annuè leguntur sequentias Secundo Calendas Aprilis, eleuatio & translatio sanctorum Vuandregisili abbatis, & Ansberti, atque Vulframni archipræsulum. Tertio Nonas Septembris, in monte Blandinio, Gandau territorij, aduentus sanctorum corporum Vuandregisili abbatis, Ansberti, & Vulframni archipræsulum. Decimo octauo Calendas Octobris, translatio corporis sancti Ansberti, Rotmagensis ecclesiæ archiepiscopi. Cæterum dum sancti viri corpus, multis miraculis Fontanellæ clareret, Pipinus (quod Gesta Fontanellensium abbatum attestantur) in peccati sui expiationem Floriacum monasterium in pago Velio-

*In capite de  
Baino, Ger-  
stans.*

cassino construxit, ipsumque Fontanellensi cœnobio tradidit

### Decima die Februarij.

1<sup>o</sup>. *Natalis S. Austrebertæ, virginis Teruänensis.*

*Ex historia conscripta ab eius ferè aquali.*

**I**N pago Rothomagensi, Pauliaco monasterio, sanctæ AVSTREBERTÆ virginis. Hæc virgo Teruänensi territorio exorta, cum eam parentes carnali marito tradere vellent, fugit per flumen, quod Quantia dicitur, ad episcopum